



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Ingolstadiensis Vniuersitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

historicorum communi testificatione & consensu constat, S. *Venerium* in locum S. *Simpliciani* surrogatum, & *Magorum* corpora ab *Eustorgio* primo huius nominis Archiepiscopo ante tempora S. *Ambrosij* pie defuncto *Constantinopoli Mediolanum* translata esse: & vtrumque Archiepiscopum *Martinianum* & *Arsacium*, maximè hunc post S. *Simplicianum* annis propemodum 173. obiisse. Adde quod in toto Archiepiscoporum *Mediolanen.* Catalogo nemo hoc nomine reperitur.

Nihil plane dubitamus eundem esse sanctum *Arsacium*, cuius facit mentionem *Clarissimus* & doctissimus vir *Petrus Galestinus* Prothonotarius Ap^{cus}. in suo Martyrologio, duodecima die Nouembris his verbis: *Mediolani S. Arsacii* Episcopi, atque in notationibus addit, se ista habere ex libro peruetusto *Ecclesie Mediolanensis*. Nam eodem ipso die singulis annis festum illius ex antiqua traditione hic Monachij, & antea in pago *Illmunstrensi* ab annis 840. & quod excurrit solenniter celebratur, & celebratum est.

Atqui suspicamur eundem quoque esse cuius reliquis aliquas R^{mus}. & Ill^{mus}. Card: *Borromæus* sanctæ memoriæ anno 1581. 18. Calendas May, in loco decentiori collocavit. Si Dominus *Galestinus* adiecit, quo in loco fuisse Episcopum, minus laboraremus,

Cum itaque verissimum sit eius corpus *Mediolano* in *Bauariam* translatum, iam ab annis circiter 850. in duob. istis templis *Illmunstrensi* & *Monacensi*, magna cum veneratione & credentium consolatione & fructu asseruatum esse: verissimum apparet eum in aliqua saltem ciuitate laicissimè patens Archiepiscopatus *Mediolanensis* Episcopum fuisse.

Catalogus Præpositorum peruetustæ huius Ecclesiæ seu Monasteri ad Illmum proponendus hoc conuenienti loco à nobis esset: verum prohibent facere tot centeni anni à prima fundatione elapsi: tot interim damna hinc inde illata; nec non causæ aliæ, quas sciens lubes suo loco repono. Si quidpiam certi deinceps compertum habuero, faciam ne obliuio absumat. De duobus Præpositis testantur monumenta mihi visa, & perlecta, quos ut perennes sint, adnotare volui. sunt autem.

VLRICVS Leonroder, vel Levenroder, an. 1315. vixit ad hucan, 1348. & diplom. anni illius vocatur *Ulrich von Leonrod*.

IOHANNES, an. 1424.

INGOLSTADIENSIS VNIVERSITAS.

ANNO Domini 1472. Ludouicus Dux *Bauariæ inferioris*, præhabito consilio ac autoritate summorum Pontificum, Pij secundi, ac eiusdem Successoris *Pauli secundi*, primus instituit generalem Vniuersitatem in sua ciuitate *Ingolstat*, iuxta *Danubium*, ad formam Vniuersitatis *Viennensis*, iisdemque priuilegiis: quam dotauit Capella ac domo præbendaria, vulgariter *Wfrändlshaus*, quam Ludouicus Dux *Bauariæ*, dictus *Barbatus*, ac Comes *Martaniæ*, agnatus suus. paulò antè pro 12. pauperibus laicis construxerat: Quæ ad huc nomen veteris Collegij retinet, vna cum suis redditibus ac censibus, nec non illis, quæ præfatus Dux *Ludouicus Ingolstadiensibus* pro 12. Choralibus, qui die noctuque in *Templo B. Mariæ virginis*, à se ex fundamentis magnificè constructo,

structo, sacerdotiis signis ac ornamentiis preciosis decorato, Psalms alternatim legerent, destinauerat. Additis insuper iis redditib., quos fratres sancti Francisci ibidem ante reformationem iure proprietatis possederant, cum aliis in fundatione contentis, quæ ad sustentationem Doctorum ac Professorum ibidem sufficere videbantur: Quorum ab initio non magnus erat numerus, scilicet vnus ad vnus Theologi, duorum Canonistarum, vnus Legistæ, vnus Medici, ac sex Professorum Philosophiæ ac artium liberalium, qui tunc Collegiati nominabantur, in supra dicta domo ac communi conuictu commorantes: Quæ adhæc nostra tempora, vsq; ad annum 1540. ferè durârunt. Erant quoque exiguatim salaria Professoribus constituta, ad summam 130. florenorum, ac infra.

SECUNDVM primam institutionem tota Schola in quatuor nationes diuisa fuit:

PRIMA fuit Bauarica, sub qua comprehenderetur, Bohemia, Morauia, Austria, Stiria, Carinthia, Sclauonia, Italia, Athesis ac Sueuia.

SECUNDA natio erat Rhenensis, comprehendens vltra Rhenanum tractum ea parte, qua Argentoratum, Spira, Wormatia, &c. sunt sita.

TERTIA natio Franconica, scilicet Francorum, Hassorum, Westphalorum, Turingorum, Anglorum, Danorum, Norvegiarum & Suecorum.

QUARTA natio Saxonica, complectens Saxones, Misnios, Silesios, Lusacios, Marchiam Brandeburgensem, Pomeranos, Stetinenses, Grunlandios ac vicinos Oceano Septentrionali, Prussios, Russios, Lithuanos, Samegitios ac Polonos: Quælibet harum nationum suum proprium habebat Procuratorem, cum potestate singulis semestribus Rectorem eligendi. Hæc ex scholis Italiæ ac Galliæ profecta nationum ac procuratorum distinctio, nobis in Germania minùs apta statim abolita: ac in Senatum Academicum tam Rectorem eligendi, quam ois reliqua potestas reiecta est: Creuit quoq; paulatim numerus Professorum ac scholarum vnâ cum augmento salariorum ac reddituum, quibus ex decima Ecclesiasticorum prouentuum, consensu summorum Pont. iam altera vice imposita non leuis accessio facta est, Cancellarius vniuersitatis à S. Pontifice delectus est Ordinarius loci Episcopus, nempe Aichstetensis, qui suum vice gerentem, seu Vicecancellarium Ingolstadij habet, vnum ac illum quidem præcipuum Theologiæ Professorum.

GEORGIVS Dux Bauariæ, filius Ludouici prædicti, confirmans & subscribens patris institutioni adiecit ac construxit aliud Collegium, quod nouum seu Georgianum prope vetus vocant: In quo sub Regente pauperes Scholares à ciuitatibus Bauariæ sue ditionis præsentandi, ac alij Stipendiati, vt vocant, artium liberalium Studiosi vsq; ad gradum Magisterij alerentur.

ALBERTVS Dux Bauariæ, piæ memoriæ nuper defunctus, hunc pauperum numerum auxit, disciplinæ Iesuitarum, quos idem Dux pio zelo illic collocauit, in veteri Collegio subiecit, ac Theologico studio incumbere iussit, vt hinc tanquã ex seminario subinde vitij ac docti Parochiis ac concionibus verbi diuini præfici possent, qui alumni Principis vocantur.

DEFICIENTIBVS paulatim ac frigescentibus aliis Germaniæ Vniuersitatibus, hæc nostra Catholica Schola crescere ac florere cæpit, præsertim in Theologico ac Iuridico studio. Omnipotens ipsam ad sui nominis gloriam, ad salutem Ecclesiæ suæ Catholicæ, ac communem vtilitatem totius Reipub. Christianæ, præsertim nostræ Germaniæ quàm diutissimè florentem ac incolumem, conseruare dignetur. Amen.

PIVS Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter ceteras felicitates quas mortalis homo in hac labili vita dono Dei nancisci potest, ea non vltimis computari meretur, quod per assiduum studiū adipisci valeat sapientiæ margaritam, quæ bene beateque viuendi viam præbet, ac peritum ab imperito longè facit excellere, & similem. Deo reddidit, hæc præterea illum ad mundi arcana cognoscenda dilucidè introducit, suffragatur indoctis ac in infimo loco natos euehit in sublimes. Et propterea sedes Apostolica rerum spiritualium ac etiam temporalium prouida moderatrix, liberalitatis honestæ circumspecta distributrix, & cuiusuis commendabilis exercitij perpetua, & constans adiutrix vti eo facilius homines ad tam excelsum humanæ conditionis fastigium, acquirendum, & acquisitum in alios refundendum, semper cum augmento quæsti inducantur, cum aliarum rerum distributio massam minuat, scientiæ verò communicatio quanto in plures diffundatur, tanto semper augetur, & crescit, illos hortatur, eis loca præparat, illos adiuuat & fouet, ac ea pro ipsorum commodo & utilitate, præsertim dum hoc per Catholicos Principes postulatur, libenter concedere consuevit. Sanè pro parte dilecti filij Nobilis viri Ludouici Comitis Palatini Reni, Ducis Bauariæ nuper nobis exhibita petitio continebat, quod dudum ipse prouide considerans, quod per litterarum studiis insudantes personas dignè colitur diuina maiestas, orthodoxæ fidei veritas illustratur, virtutum morumque decor acquiritur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, pro Reipublicæ utilitate in suo opido *Ingelstæt Eysteten*, dioc. quod valde ad hoc aptum existit, & in quo aëris viget temperies, ac rerum ad vitam hominum necessariarum abundantia reperitur, & iuxta quod nullum aliud generale studium prope centum quinquaginta miliaria Italica vel circa habetur, seruentur exoptat fieri & ordinari per sedem Apostolicam studium generale, in qualibet licita facultate, ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, æquitas seruetur, iudicij vigeat ratio, illuminentur mentes, & intellectus hominum illustrentur. Nos præmissa ac etiam eximiam fidei & deuotionis sinceritatem, quam ipse Dux ad nos & Romanam Ecclesiam gerere comprobatur, attentè considerantes, seruenti desiderio ducimur, quod oppidum ipsum scientiarum ornetur muneribus, ita ut viros producat consilij maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, & diuersarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus de cuius plenitudine hauriant vniuersi litterarum cupientes imbui documentis, Præfati Ducis in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem diuini nominis, & eiusdem fidei propagationem autoritate apostolica statuimus ac etiam ordinamus, quod in eodem opido de cætero studium generale, illudque inibi perpetuis futuris temporibus vigeat, tam in Theologia, iure Canonico & Ciuili, in Medicina & Artibus, quam in qualibet alia licita facultate. Quodque legentes & studentes ibidem, omnibus priuilegiis, libertatibus, exemptionibus, honoribus & immunitatibus, quibus Magistri Doctores & Studentes in studio *Vienen*, gaudent & vtuntur, seu vti & gaudere poterunt quomodo libet in futurum pariter vti valeant & gaudere. Quodque illi qui processu temporis brauium meruerint in facultate qua studuerint obtinere, ac docendi licentiam, ut alios erudire valeant, nec non Magisterij seu doctoratus honores petierint, illi eis elargiri possint per Doctorem seu Doctores, aut Magistrum seu Magistros facultatis eiusdem, post rigorem examinis seruatis solennitatibus consuetis. Illi verò qui in eodem studio dicti opidi examinati, & approbati fuerint, ac docendi

cendi licentiam & honorem obtinuerint, ex tunc absq; aliis examinatione & approbatione legendi & docendi, tam in prædicto opido q̄ aliis Vniuersitatibus in quibus legere vel docere voluerint, plenam & liberam habeant facultatem. Non obstantibus statutis & consuetudinibus ac Priuilegiis Viennensium ac aliorum studiorum eorundem juramento, confirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, etiamsi de illis eorumq; totis tenoribus, specialis & expressa mentione præsentibus, habenda esset, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod Scholares in eodẽ studio erigendo gradus pro tempore suscipientes, fidelitatis debitæ iuxta formam præsentibus, annotatam in manibus Rectoris eiusdem studij pro tempore existentis præstare debeant & teneantur. Forma autem dicti iuramenti talis est. Ego. . . Scholaris studij *Ingelstat Eysteten*, dioc. ab hac hora inantea fidelis & obediens ero beato *Petro*, sanctęque Apostolicę Romanę Ecclesię, & Domino meo Domino *Pio* PP. II. ac eius successoribus. Canonicę intransib. Non ero in consilio, cõsensu, tractatu vel facto vt vitam aut membrum perdant, seu quod contra alicuius eorum personam, vel in ipsorum aut Ecclesię eiusdem seu sedis apostolicę auctoritatis, honoris, priuilegiorum vel apostolicorum statutorum, ordinationum, reseruationum, dispositionum seu mandatorum, derogatione vel præiudicium, machinationes aut conspirationes fiant, & si, quoties aliquid horum tractari sciuerõ, id ne fiat pro posse impediam, ac quãto comode poterõ, eidem Domino nostro, vel alteri per quem ad ipsius noticiam perueniri possit significabo. Consilium verõ quod mihi per se aut nuncios seu litteras credituri sunt, ad eorum damnum nemini pandam. Ad retinendum & defendendum Papatum Romanum & Regalia *S. Petri* contra omnem hominẽ adiutor eis ero. Auctoritatẽ, Priuilegia & jura, quantum in me fuerit potius adaugere & promouere, Statuta, Ordinationes, reseruationes, dispositiones, & mandata huiusmodi obseruare & eis intendere curabo. Legatos sedis Apostolicę honorificę, & in suis necessitatibus adiuuabo. Hæreticos & Schismaticos & qui alicui ex Domini nostri successoribus prædictis rebelles fuerint, pro viribus persequar & impugnabo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Nulli ergõ omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Senis* anno incarnationis Dominicę Millesimo Quadringentesimo quinquagesimo nono, septimo Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

A. de moncia.

1a. Lucen.

Rta. gratis pro L. Theranda.

Pe. de Bonitate.

Vniuersis & singulis Ecclesiasticis, secularibus, Prelatis, & quarumcunque facultatum Doctoribus, Licentiatis, Magistris, Baccalaureis, Studentibus, cæterisque quacunque dignitate, statu, aut eminentia fulgeant, ad quorũ noticiã præsentibus literę nostrę deuenerint, *Ludouicus* Dei gratia *Comes Palatinus Rheni*, inferioris ac superioris *Bauarię* Dux, amicitia nostram, salutem & gratia Reuerendissimi, Reuerendi in Christo Patres, Illustres Principes, Venerabiles, egregij, honorabiles viri, nobis in Christo deuoti ac sinceri & fideles dilecti. Iam dudũ considerantes

derantes ac animo voluentes, per homines litteris eruditos altius & rectius diuinam maiestatem coli & rimari, orthodoxæque fidei veritatem diffusius illustrari & roborari, morum decore augmentari, & humanæ conditioni optime & salubriter providere ac subueniri. Quâ ob causâ vt in Principatu & dominio nostro viri consilio maturi, virtute redimiti, ac maturitate conspicui, & diuersarum facultatum dogmatibus, clari & eruditi instituerentur, à summo Pontificè Smo. D^{no}. N. Papa impetrauimus, quod in oppido nostro *Ingolstat Eysfetenfis* diocæsis, in quo optima aeris viget temperies, ac rerum humanarum necessariorum vitæ, & victus abundantia reperitur, de cætero sit vniuersitas & studium generale, futuris perpetuis duratura temporibus. Quodque Doctores & Magistri tam in Theologia, iure Pontificali aut legali, in Medicinis & artibus, quam in alia quacunque facultate ibidem legentes & studentes, priuilegiis & immunitatibus, exemptionibus ac honoribus gaudeant & potiantur, quibus Doctores & Studentes olim in vniuersitate *Atheniensis*, & modo *Bononiensis* & *VViennensis* gaudent & vtuntur. Vt autem hæc omnia efficaciorum sortiantur, effectum ac Vniuersitas huiusmodi magis ac magis Doctoribus, Magistris, & Studentibus accrescat & augeatur, perpetuoque perseueret, nostram etiam in hoc auctoritatem adiecimus, ipsam Vniuersitatem Priuilegiis, prerogatiuis immunitatibus & honoribus specialibus pro nobis & successoribus nostris in *Ingolstat*, vna cum Consulibus ibidem (quatenus tum nos tum ipsos respicit) decorauimus, reditibus, prouentibus, & emolumentis competentibus donauimus, nec non de Doctoribus clarissimis ac Magistris probatissimis, qui secunda feria post Dominicam Oculi proximè futuram ibi legere incipient, prouidimus. De aliis quoque adhæc oportunis prouideri fecimus. Hæc ad vestram & cuiuslibet vestrum notitiam voluimus deducere per Præsentes: quatenus si quis ex vobis litterarum studiis operam dare & impendere intenderet, de hoc cercioratus esset, vt nos profecto curam dabimus, quod nisi id quod iustum, rationale ac decens & ipsis Studentibus, vtile fuerit à Doctoribus & Magistris præfectis, aut inibi præficiendis legatur, & Studentes cum omni diligentia erudiantur. Nos quoque ipsos Doctores, Magistros & Studentes, sic tractabimus, & per nostros officiales tractari procurabimus, vt cum omni decencia & mansuetudine vniuersa fiant, & quæ nobis, & ipsis nostris officialibus ad huiusmodi Vniuersitatis, & eiusdem priuilegiorum conseruationem facere incumbunt, & eorum exigua necessitas. Dat. ex castro nostro Ducali *Landshut*, sub secreto nostro imprello, die secunda Ianuarij, an. Domini M CCCC. LXXII.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In Seminenti sedis Apostolicæ specula Romanus Pontifex à Domino constitutus, ad illa suos potissime effundit cogitatus, per quæ personis scientiæ margaritæ, qua totus regitur orbis, iustum ab iniusto, æquum ab iniquo segregatur, bene beateque viuendi via præbetur, obscura dilucidantur, rerumque spiritualium & temporalium prouida moderatione reguntur adornatis laboris sui mercedem & honores iuxta exercitij meritum impendantur. Dudum siquidem, ad laudem diuini nominis, & orthodoxæ fidei propagationem dilecti filij Nobilis viri *Ludouici Comitis Palatini Reni Ducis Bavariæ* statuimus. ac etiam ordinauimus; quod in oppido *Ingelstat Eysfeten*, dio. de cætero foret studium generale, & illud inibi perpetuis futuris temporibus vigeret, tam in Theologia, iure Canonico, Ciuili, Medicina & Artibus, quam in qualibet alia licita facultate, quodque legentes & studentes ibidem omnibus Priuilegiis, libertatibus, exemptionibus

nibus, honoribus & immunitatibus, quibus Magistri, Doctores & Studentes in studio *Viennen.* gaudent & vtuntur, seu vti & gaudere possent quomodolibet in futurum pariter vti valerent & gaudere, ac illi qui processu tēporis brauiū mererentur, vt in facultate qua studuissent honorē obtinere, ac docendi licentiā vt alios erudire valerent, nec non Magisterij seu Doctoratus honores peterent, illi eis enlargiri possent per Doctorem seu Doctores, aut Magistrum, seu Magistros facultatis eiusdem post rigorem examinis seruatis solemnitatibus conuictis, illi vero qui in eodem studio dicti opidi examinati & approbati forent, ac docendi licentiā & honorem obtinerent, & tunc absque alia examinatione & approbatione legendi & docendi tam in prædicto opido quam aliis Vniuersitatibus, in quibus legere vel docere voluissent, plenam & liberam haberent facultatem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Ludouici Ducis petitio continebat, dictum studium *Ingelstat* à tempore illius initij pluribus annis satis copiosa multitudine Scholarium omnium prædictarum facultatum cum lectionibus & aliis scholasticis actibus diligenter continuatum fuerit, & per amplius continuari posset, nisi nonnulli ex scholaribus eiusdem studij etiam sufficientes & idonei se hactenus à receptione graduum & insigniorum in dictis facultatibus seu aliqua earum propter paucitatem Doctorum inibi existentium detraxissent, & in aliis generalibus studiis etiam simili auctoritate erectis, promoueri, & huiusmodi insignia recipere conarentur, pro parte dicti Ludouici Ducis nobis fuit humiliter supplicatum, vt statuere & ordinare, quod eiusdem studij duo vel tres in Theologia & Medicina, nec non quatuor aut quinque juris Canonici & Ciuilis facultatibus iam insigniti Doctores & simul iuncti, scholares habiles & idoneos respectiuē debitis solemnitatibus ad hoc adhibitis & rigoroso præcedente examine in locis publicis & honestis ad singulos gradus in eisdem facultatibus, secundum eorundem Scholarium exigentiam, promouere, & insignijs decorare valeant, & alias in præmissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos cupientes in dicto studio, prout hactenus viguit & continuatum est studium, ipsum perpetuo continuare & augeri, huiusmodi supplicationib. inclinati hac præfenti pagina perpetuo valitura statum⁹ & ordinamus, quod eiusdem studij *Ingelstat* duo vel tres in Theologia & Medicina, nec non quatuor vel quinque in Iuris Canonici & Ciuilis facultatibus insigniti Doctores, & in simul iuncti Scholares habiles & idoneos debitis solemnitatibus ad hoc adhibitis, & rigoroso præcedente examine in locis publicis & honestis ad singulos gradus in eisdem facultatibus, secundum eorundem Scholarium exigentiam promouere, & insignijs decētib. decorare valeant, quodq; promoti & insigniti huiusmodi eisdem honoribus, priuilegijs & prærogatiuis quib. in *Bononiens.* & *Salamanticens.* studiis promoti & graduati ac insignijs decorati, de iure vel consuetudine, aut alias ex apostolicis priuilegijs vti & gaudere possint. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec non statutis & consuetudinibus eiusdem studij *Ingelstat* etiam Iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti & ordinationis infringere, velei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Romæ* apud sanctum Petrum, anno

incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo septuagesimo septimo.
Frid. Kl. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto,

Au. Gratis de Man^{to}. D. n. Pape.

P. de Monte.

A. Trapezuntius.

S. Bonattus.

ADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam,
Vt litterarum studio & eruditioni ac diuinorum celebrationi continuo in-
sistentibus quæ ad eorum sustentationem fuerint oportuna non desint, opẽ & ope-
ram, quantum cum Domino possumus impartimur. Sane pro parte dilectorum
filiorũ Nobiliũ virorum *Otonis Henrici ac Philippi* fratrum Germanorum *Comi-
titũ Palatinorũ Rheni & Bauaria* Ducum nobis nuper exhibita petitio contine-
bat, quod aliàs bonæ memoriæ *Georgius Comes Palatinus Rheni* & vtriusque *Bauaria*
Dux eorum auus tunc in humanis agens inter alia pia opera per eum gesta vnum
Collegium Scholarium in studio vniuersali opidi *Ingolstat Eysteten*. Diocesis. pro
pauperibus studentibus à fundamentis erexit, & ex propriis bonis suis dotauit,
Quodque Regens dicti Collegij presbyter esse debet, & Collegialium eorun-
dem curam gerit, & in Ecclesia seu sacello eiusdem Collegij Missas & alia diui-
na officia celebrat, & propterea *Otto Henricus & Philippus Comites Palatini* ac Du-
ces prædicti sunt contenti, vt concordata per claræ memoriæ *Maximilianum*
tunc in humanis agentem Romanorum Regem in Imperatorem electum
in bello Bauarico, quantum ad fundationes dicti *Georgij* attinet, sortiantur
effectum, & super parochialis Ecclesiæ beatæ Mariæ in *Parr Augusten*. Dio-
cesis, quæ de ipsorum, ac pro tempore existentium Comitum *Palatinorum Rhe-
ni* ac Ducum *Bauaria* iure patronatus existit, fructibus, redditibus & pro-
uentibus qui vberes existunt, infra scripta pensio pro sustentatione Regentis,
ac diuinorum officiorum, huiusmodi reseruetur. Nos igitur qui diui-
num cultum, vbique vigere & augeri sinceris desideramus affectibus *Otto-
tonem Henricum & Philippum* & Regentem prædictos à quibusuis excommuni-
cationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censu-
ris & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione vel causa, latis, si qui-
bus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium, duntaxat
consequendum, harum serie absolutos fore censentes auctoritate apo-
stolica tenore præsentium, pensionem annuam quadraginta florenorum
Rhenen, super parochialis Ecclesiæ fructibus, redditibus & prouentibus huius-
modi, quorum medietatem ipsa pensio vt dicti *Otto Henricus & Philippus* asse-
runt, non excedit, dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Regenti
Collegij huiusmodi, vel Procuratori suo, ad hoc ab eo speciale manda-
tum habenti, per dilectum filium *Georgium Kratzer* ipsius Ecclesiæ Rectorem,
eius ac dictorum *Otonis Henrici & Philippi* ad hoc per dilectum filium *Ioannem
Eckium* Clericum *Augusten*. dioces. Magistrum, in Theologia Procuratorem
eorum, ad hoc ab eis specialiter constitutum expressus accedit assensus, & suc-
cessores suos, Ecclesiam prædictam pro tempore obtinentes, annis singulis, pro
vna videlicet in Natiuitatis beati *Ioannis Baptistæ*, & alia medietatibus pensionis
eiusdem, in Sancti *Iohannis Euangelistæ* testiuatibus integrè persoluen-
dam, perpetuo reseruamus, constituimus & assignamus, decernentes *Geor-
gium*

gium & successores prædictos ad integram solutionem pensionis huiusmodi eidem Regenti faciendam, iuxta reservationis, constitutionis & assignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod ille ex *Georgio* & successoribus prædictis, qui in altera dictarum festiuitatum vel saltem infra triginta dies illam immediate sequentes pensionem, huiusmodi per eum tunc debitam non persoluerit cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam, excommunicationis incurrat, à quo donec Regenti vel procuratori suo prædicto de dicta pensione tunc debita integrè satisfactum aut aliàs cum eo desuper amicabiliter concordatum fuerit, absolui non possit, præterquam in mortis articulo constitutus. Si verò per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam, animo quod absit sustinerint indurato, ex tunc effluxis mensib. ipsis Ecclesia, prædicta perpetuo priuatus existat, illaque vacare censeatur eo ipso. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque. Aut si *Georgio* & successoribus prædictis, vel quibusvis aliis communiter vel diuissim ab apostolica sit sede indultum, quod ad præstationem vel solutionem pensionis alicuius minimè teneantur, & ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quã præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, Decreti, voluntatis & statuti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei ac B. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum*, Anno incarnationis Dominicæ Milleesimo Quingentesimo vigesimo tertio Pridie Id. Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

P. Marnon. A. de Agazanth. Io. Bagatenus.

ADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Episcopo *VVigernien.* ac dilectis filiis *Augusten.* & *Eysteten.* Officialib. salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie dilecto filio moderno & pro tempore existenti Regenti Collegij scolarium in studio Vniuersali opidi *Ingolstat Eysteten.* Dioc. per bonæ memoriæ *Georgium Comitem Palatini Rheni* & vtriusque *Bauariæ* Ducem à fundamentis erecti pensionē annuā quadraginta florenorū *Rheneñ.* super parochialis Ecclesiæ *B. Mariæ in Parr Augusten.* Dioc. fructib. redditib. sibi vel procuratori suo ad id ab eo speciale mandatum habenti per dilectum filium *Georgium Kratzer,* ipsius Ecclesiæ Rectorem & successores suos Ecclesiam prædictam pro tempore obtinentes annis singulis in certis terminis tunc expressis sub excommunicationis sententia, & deinde priuationis pœna integrè persoluendam dicti *Georgij* ad id per certum Procuratorem suum ab eo specialiter constitutū expresso accedente consensu auctoritate Apostolica reseruauimus, constituim⁹, & assignauimus, per alias nostras litteras prout in illis pleni⁹ continetur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut vnus vestrum, si & postquam dictæ litteræ vobis præsentatæ fuerint p vos vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra pensionem prædictā Regenti moder-

Metrop. Salisb. Tom. II.

Nn 2

no &

no & pro tempore existenti Collegij huiusmodi, vel Procuratori suo prædicto, iuxta reservationis, constitutionis & assignationis prædictarum ac Decreti nostri in eisdem litteris apppositi continentiam & tenorem efficaciter persolui. Et nihilominus quemlibet ex *Georgio* & successoribus prædictis, quem vobis huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse constiterit quoties super hoc pro parte dicti Regentis fueritis requisiti tamdiu dominicis & aliis festis diebus in Ecclesiis dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, excommunicatum publicè nunciatis, & faciatis ab aliis nunciari, ac ab omnibus artibus euitari, donec Regenti vel Procuratori suo præfatis de pensione huiusmodi tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium, meruerit obtinere. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus omnibus, quæ in dictis litteris volumus nõ ob stare. Seu si *Georgio* & successoribus prædictis vel quibusvis aliis communiter vel diuissim ab apostolica sit sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum *Rome* apud *S. Petrum*, anno incarnationis *Dominicæ* Millesimo Quingentesimo vigesimo tertio, prid. Id. Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Adrianus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum vniuersalis Ecclesia ad sui regimen litteratis viris permaximè indigere noscatur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non possunt legendo & proficiendo oportunitas sit sublata, sed sapientum, ac litteratorum, virorum, ac litteris operam dantium, numerus augeatur, indices operum & operam sedulo adhibemus. Sanè pro parte dilecti filij Nobilis viri *Vilhelmi* Comitis *Palatini Rheni* superiorisque & inferioris *Bauariæ* Ducis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum studium generale in opido *Ingelstet* *Eysteten*, Diocesis, sub regimine temporali ipsius *Vilhelmi* vigeat, ac Priuilegiis & indultis Apostolicis fuerit decoratum, & indices benedicente Domino magis ac magis ad augeri speretur, in eoque cunctarum scientiarum etiam variis linguis doctrina refulgeat, multi que Doctores & Magistri, aliqui scientias inibi legentes, Cathedras regentes litterisque operam dantes commorentur, & resideant, si pro illorum commodiori sustentatione & stipendiorm competentiori satisfactione de aliquibus redditibus prouideretur, ex hoc profecto moderni & pro tempore existentes magistri Doctores, Scholares & alia personæ eiusdem Vniuersitatis inibi legere, studere, & litteris operam dare auidius & attentius curarent. Nos igitur qui scientiam atque doctrinam vbi que propagari coli & frequentari intimis desideriis exoptamus, *Vilhelmum* prædictum & *Sindicum* infra scriptum à quibusuis excommunicationis suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris & poenis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolutos fore censentes auctoritate apostolica tenore præsentium vnâ quinquaginta super *B. Mariæ* dicti opidi, quam *Georgius Hauuer*, & aliam octuaginta super *Sancti Emerani* in *VVembling*, quam *Iohannes Mogis*, ac aliam quadraginta super *sanctæ Barbaræ* in *Abensberg* quam *Iohannes Egkel*, & reliquam pensiones annuas aliorum, quadraginta florinorum *Reneñ*, super eiusdem *Beatæ Mariæ* in *Schongauu* dictæ, & *Ratisponen*, ac *Augusten*, respectiue Diocesis quam *Eobanus Ort* dilecti filij ipsarum Ecclesiarum, quæ de

jura

jure patronatus dicti *Wilhelmi*, & pro tempore existentis Ducis vtriusque *Bavarie* huiusmodi existunt Doctores, obtinent, & eisdem Ecclesiis annexorum fructibus, redditibus & prouentibus, quorum medietatem dictæ, & alia forsan desuper assignatæ pensiones in eisdem Ecclesiis residendo, vt dictus *Bilhelmus* asserit nõ excedunt, dilecto filio Sindico Doctorum, Magistrorũ, Lectorum & personarum Vniuersitatis studij huiusmodi nunc & pro tẽpore existenti, per *Georgium* & *Ioannem Mogis*, ac *Ioannem Egkel*, & *Eobanum* prædictos, quorum, ac dicti *Bilhelmi* Comitis & Ducis ad hoc per dilectum filium *Ioannem Buren* clericum, *Moguntinen.* diocesi. procuratorem eorum ad hoc ab eis specialiter constitutum expressus accedit assensus, & successores suos Ecclesias prædictas pro tempore obtinentes Annis singulis pro vna videlicet in sancti Ioannis Euangelistæ, & altera cuiuslibet pensionum per præsentis referuatarum huiusmodi medietatib. in B. Ioannis Baptistæ Natiuitatũ festiuitatibus in dicto opido Ingolstat integrè persoluendam perpetuo referuamus, constituimus & assignamus. Decernentes *Georgium* & *Ioannem Mogis*, ac *Ioannem Egkel* & *Eobanum* ac successores prædictos ad integram solutionem pensionum per præsentis referuatarum huiusmodi eidem Sindico faciendam iuxta referuacionis, constitutionis, & assignacionis huiusmodi tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadẽ auctoritate statuentes, quod ille ex *Georgio* & *Iohanne Mogis* ac *Iohanne Egkel* & *Eobano* ac successoribus prædictis, qui in altera dictarum festiuitatum, vel saltem infra triginta dies illam immediatè sequentes aliquam ex pensionibus per præsentis referuatis huiusmodi per eam tunc debitã non persoluerit cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam excommunicacionis incurrat, à qua donec dicto Sindico de dicta pensione tunc debita integrè satisfactum aut aliàs cum eo desuper amicabiliter concordatum fuerit, absolui non possit præterquam in mortis articulo constitutus. Si verò per sex menses dictos triginta dies immediatè sequentes sententiam ipsam, animo quod absit sustinuerit indurato, ex tunc effluxibus mensibus ipsis illa ex Ecclesiis prædictis quam eum tunc obtinere contigerit, perpetuo priuatus existat, illaq; vacare censetur ipso iure. Non obstantibus Constitutionib. & ordinationib. Apostolicis contrariis quibuscunq;. Aut si *Georgio* & *Iohanni Mogis* ac *Iohanni Egkel* & *Eobano* & successoribus prædictis, vel quibusuis aliis communiter vel oratim ab eadẽ sit sede indultũ, quod ad præstationẽ vel solutionem pensionis alicuius minimè teneantur, & ad id compelli non possint per litteras apostolicas, non facientes plenã & expressam ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunq; tenoris existat, per quam præsentib. non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiusq; toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, referuacionis, constitutionis, assignacionis, Decreti, voluntatis & statuti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac B. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum*, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo vigesimo tertio, Decimo tertio Kl. Octob. Pontificatus nostri anno secundo.

Ioan. Matthæus Gibertus.

A. de Castillo.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.
Rationi congruit, & cõuenit honestati, vt ea quæ de Romani Pontificis

Metrop. Salisb. Tom. II

Nn 3

gratia

gratia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem fel. recordationis *Adrianus* PP. VI. prædecessor noster omnia beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & dispositioni suæ reseruauit, decernens ex tunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate sciēter vel ignoranter contingeret attemptari. Cumque postmodum parochialis Ecclesia sancti *Blasij* in *Zuchering Augusten*. diocesi. Capellæ *S. Saluatoris* intra pontes *Eysteten*. diocesi. quam dilectus filius *VVolfgangus Braun* ipsius Capellæ rector obunet, perpetuo vnita, annexa & incorporata, ex eo quod idem prædecessor vnionem, annexionem & incorporationem prædictas eiusdem *VVolfgangi* ad id per dilectum filium *Ioannem Buren* clericum *Moguntinen*. dioc. procuratorem suum ad id ab eo specialiter constitutum, expresso accedente consensu apostolica auctoritate dissoluta, & per dissolutionem eandem apud sedē prædictam vacauisset, & vacaret tūc nullusque de illa præter eundem prædecessorem ea vice disponere potuisset, siue posset, reseruatiōe & decreto obstitentibus supradictis, pro parte tunc Rectoris & Consiliariorum Vniuersitatis studij generalis opidi *Ingolstaten*. *Eysteten*. dioc. eidem prædecessori exposito, quod cum ipsi & pro tempore existens Rector & consiliarij Vniuersitatis studij huiusmodi, ab eiusdem studij fundatione eatenus ex donatione illius fundatoris, qui dictæ Ecclesiæ, & ad illam pro tempore pertinentes decimas tunc, & ab immemorabili tempore, etiam ante Lateranen. Concilium licite percipiebant per sedem eandem approbata medietate omnium & singularum decimarum earundem percipere conuenissent & super diuisione vel collectione decimarum earundem, vel earum fructuum, reddituum & prouentuum inter pro tempore existentes Rectores & Consiliarios Vniuersitatis ac perpetuum Vicarium plebanum nuncupatū Ecclesiæ prædictarum quandoque dissensiones & iurgia orirentur. Cuperent propterea tam ipsi quam etiam filius *Sigismundus Heiberger* eiusdem Ecclesiæ perpetuus Vicarius plebanus nuncupatus ad euitandum dissensiones prædictas, & vt Legentibus Doctoribus, Magistris & aliis personis dictæ Vniuersitatis inibi pro tempore literarum Studio insistentibus de sustentatione ac salariis & Stipendiis competentibus prouideretur, Ecclesiam prædictam, cuius perpetua Vicaria plebania nuncupata tum pro tempore vacabat, ad collationem, prouisionem, præsentationem, vel aliam dispositionem dicti *Wolfgangi* & pro tempore existentis eiusdem Capellæ Rectoris de antiqua & approbata eatenusq; pacifice obseruata consuetudine spectare assereretur, Massæ Vniuersitatis huiusmodi perpetuo vniri, annecti & incorporari. Et pro parte Rectoris & Consiliariorum Vniuersitatis prædictorum asserentiū fructus redditus & prouentus dictæ Ecclesiæ triginta florenorum *Renen*, viginti tres Ducat⁹ auri de Camera vel circa constituentium secundū comunē estimationē valorē annuū non excedere, eidē prædecessori humiliter supplicato, quatenus Ecclesiā prædictā eidē massę perpetuo vnire, annectere & incorporare, aliasq; in præmissis oportune prouideretur de benignitate apostolica dignaretur. Idē prædecessor qui antea inter alia voluerat, q. petentes beneficia ecclesiastica aliis vniri, teneretur exprimere verum annum valorem secundum eandem estimationem etiam beneficij, cui aliud vniri peteretur. Alioquin vnio non valeret, & semper in vnionibus Commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique ad ea suæ sollicitudinis partes libenter impendebat per quæ singularum ecclesiasticarum personarum quieti & tranquillitati, ac studiorum generalium decori & venustati ad illaq;

pro

pro tempore confluentium Sclolarium, & aliarum personarum, qui pro acquirenda scientiæ margarita à propriis laribus exulant, in eis que legentium & docentium commoditatibus, sublatis quibusuis dissensionum fomentis vtiliter, valeret & salubriter prouideri, Rectorem & Consiliarios vniuersitatis huiusmodi, eorumque singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existerent, ad effectum infrascriptorum duntaxat consequendum absoluens, & absolutos fore censens, nec non fructuum, reddituum & prouentuum dictæ massæ verum annum valorem pro expresso habens huiusmodi supplicationibus inclinatus sub Dat. videlicet sexto Kalend. Iulij Pontificatus sui anno primo dicti Sigismundi, per eundem Iohannem etiam Procuratorem suum, & ad id ab eo similiter constitutum, simili accedente consensu Ecclesiam prædictam siue præmissis siue alio quouis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona seu per liberam cuiusuis resignationem de illa in Romana Curia vel extra eam etiam coram Notario publico & testibus sponte factam, aut constitutionem piæ memoriæ Iohannis P. P. XXII. etiam prædecessoris nostri quæ incipit, Execrabilis, vel assencionem alterius beneficii Ecclesiastici quauis auctoritate collati vacaret, etiam si tanto tempore vacauisset, quod eius collatio iuxta *Lateranen.* statuta Concilij ad sedem prædictam legitimè deuoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni apostolicæ specialiter vel aliàs generaliter reseruata existeret, & super ea inter aliquos lis, cuius statum idem *Adrianus* prædecessor haberi voluit pro expresso, penderet indecisa, dummodo eius dispositio ad eundem *Adrianum* prædecessorem ea vice pertineret, eidem Massæ dictæ auctoritate vniuit, annexuit & incorporauit, ita quod liceret eis dem tunc, & pro tempore existentibus Rectori & Consiliariis Vniuersitatis huiusmodi corporalem Ecclesiæ, iuriumque & pertinentiarum prædictorum, possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuo retinere. Illiusque fructus, redditus & prouentus, reseruata tamen ex illis pro alio perpetuo Vicario per loci, ordinarium inibi instituyendo, qui eidem Ecclesiæ deseruiret, congrua portione, ex qua se sustentare, animarum curam exercere, & Episcopalia jura persoluere, aliaque onera eidem Ecclesiæ pro tempore incumbentia, supportare commodè valeret, in suos & Ecclesiæ ac Massæ prædictarum, vsus & vtilitatem conuertere, Diocesani loci pro tempore existentis, aut cuiusuis alterius licentia desuper minimè requisita. Non obstantibus voluntate *Adriani* prædecessoris huiusmodi, ac recolendæ memoriæ *Bonifacij* P. P. VIII. similiter prædecessoris nostri ac aliis apostolicis constitutionibus & ordinationibus contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel alijs beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ sedis vel Legatorum eius literas impetrassent, etiam si per eas ad inhibitionem, reseruacionem, & decretum vel aliàs quomodolibet esset processum, quas quidem literas & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcunque ad dictam Ecclesiam idem *Adrianus* prædecessor voluit non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assencionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet alijs priuilegiis, indulgètiis & alijs literis apostolicis quorūcūq; tenorū existerent, per quæ literis eiusdem *Adriani* prædecessoris, si desuper confectæ fuissent nō expressa vel totaliter nō inserta, effectus earū impediri valeret quomodolibet vel differri, & de quibus quorumq; totis tenoribus habenda esset in

eisdem literis mentio specialis. Prouiso quod dicta Ecclesia debitis propterea non fraudaretur obsequiis, & animarum curâ in ea nullatenus negligetur, sed eius congruè supportarentur onera consueta. Et insuper idem Adrianus prædecessor, prout erat, irritum decreuit & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat eatenus, vel in posterum contingeret attemptari. Ne autem de dissolutione, absolutio- ne, vnione, annexione, incorporatione & decreto prædictis pro eo quod super illis ipsius *Adriani* prædecessoris, eius superueniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hesitari, ipsique Rector & consiliarij illorum, frustrentur effectu, volumus & dicta Apostolica auctoritate decernimus, quod dissolutio, absolutio, vnio, annexio, incorporatio & decretum *Adriani* prædecessoris huiusmodi perinde à dicta die VI. Kal. Iulij suum fortiantur effectu, ac si super illis ipsius *Adriani* prædecessoris literæ sub eiusdem dici datæ, confectæ fuissent, pro vt superius enarratur. Quodque præsentis literæ ad probandum dissolutionem, absolutio- nem, vnionem, annexionem, incorporationem & decretum *Adriani* prædecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario cō- traire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem omni- potentis Dei ac beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Rome* apud Sanctum *Petrum*, anno incarnationis dominicæ Millesimo quingentesimo vigesimo tertio, sexto Kal. Decembr. Pontificatus nostri anno primo.

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, Vniuersali Ecclesiæ quæ ad sui regimen literatis viris permaximè noscitur indi- gere, disponente Domino præfidentes, votis per quæ doctrina Catholica pro- pagari, virorumque sapientum numerus augeri possit, libenter annuimus, ea- que fauoribus prosequimur oportunis. Sanè pro parte dilectorum filiorum Nobilium virorum *Wilhelmi & Ludouici* Comitum *Palatinorum Rheni*, & vtriusq; *Bauariæ* Ducum nobis nuper exhibita petitiō continebat, quod tempore felicitis recordationis *Pij P. II.* prædecessoris nostri in oppido *Danubiano Ingolstat* Ducatus *Bauariæ*, generale studium ad prouincialium vtilitatem, & fidei exaltatio- nem pertunc Duces *Bauariæ* erectum, & confirmatio Apostolica desuper sub- sequuta, ipsumque studium Priuilegijs Apostolicis munitum fuerunt. Ita vt ibi bonarum literarum & artium omnium studia sint plantata, quibus non solum *Bauariæ* latissimæ, sed etiam *Sueuiæ*, *Franconiæ*, & Comitatus magni *Tyrolis*, ac ali- is vicinis prouincijs plurimum vtilitatis & fructus accreuit, & indies accrescit, quodque ipsi *Wilhelmus & Ludouicus* hoc præsertim periculoso tempore, quo *Lutherana* & aliæ plurimæ hæreses contra sedem apostolicam in *Germania* ori- untur, & latissimè propagantur, ad quarum extirpationem viros doctos, & gla- dio Spiritus, quod est verbum Dei accinctos habere oportet, cupiunt in dicto studio virorum juris diuini peritorum, maximè theologorum, qui se murum pro *Israhel* opponant, & contra hæreses prædictas legendo, prædicando, docen- do & scribendo eas confutent, dejiciant & exterminent, & Christi fideles in ve- ra Catholica fide & obedientia Rom. Ecclesiæ perseuerare faciant, copiâ plan- tare, nec non quod in *Salzburgen*, & *Augusten*, ac *Frisingen*, *Ratisponen*, & *Patavian*. ecclesijs quinque Doctores in Theologia in dicto studio actu legentes institu- antur. Quare pro parte eorundem *Wilhelmi & Ludouici* asserentium, quod Ec- clesiæ prædictæ à Ducibus *Bauariæ* fundatæ vel donationibus auctæ fuerunt, & in Ducatu *Bauariæ* multa bona temporalia habent, quodque *Salzburgen* Archie- piscopus,

piscopus & *Augustin. Frisinge. Ratisponē. & Patavien.* Episcopi, p̄ tempore existentes non sunt collatores Canoniciū & præbendarum prædictarū Ecclesiarum, & omnino in eisdem Canonicatib. & præbendis nihil agere habent, nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis ius præsentandi vnum ad vnā *Salzburgen.* & alium ad aliā *Augusten.* ac alium ad aliā *Frisingen.* nec non alium ad aliā *Ratisponen.* ac alium Doctores in Theologia ad aliā præbendas Canonicales *Patavien.* Ecclesiarum prædictarū simul vel successiue vacaturas singulis Ecclesiarum earundē Capitulis, ad quos oblatio, prouisio, & quauis alia dispositio singulorū Canoniciū & Præbendarum Ecclesiarum huiusmodi respectiue pertinent, per eosdem Capitula ad præsentationem huiusmodi in Canonicos dictarum Ecclesiarum respectiue instituendos reseruare & concedere, aliasq; in præmissis oportune prouidere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem, *Wilhelmum & Ludouicum* à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum ferie absoluentes, & absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore præsentium. *Wilhelmo & Ludouico* prædictis, à Ducib. *Bauariae* pro tempore existentib. ius præsentandi vnum ad vnā *Salzburgen.* & aliū ad aliā *Augusten.* ac aliū ad aliā *Frisingen.* nec non aliū ad aliā *Ratisponen.* & aliū Doctores in Theologia in dicto studio actu pro tempore legentes ad aliā *Patavien.* Ecclesiarum simul vel successiue primo vacaturas præbendas Canonicales singulis eisdem capitulis per eos ad præsentationes huiusmodi in Canonicos dictarum Ecclesiarum respectiue instituendos perpetuo reseruamus, concedimus & assignamus. Quodque dicti Doctores, quamdiu in dicto studio actu lectores permanserint, fructus, redditus & prouentus dictarum suarum præbendarum respectiue percipere, ac omnib. priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus & gratiis, quibus alij Canonici etiam capitulares Ecclesiarum earundem, vt, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum vt, potiri & gaudere liberè & licitè valeant indulgemus. Non obstantibus constitutionib. apostolicis ac dictarum Ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & cōsuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, reseruationis, concessionis, assignationis & indulgē, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Roma* apud sanctum *Petrum*, anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo vigesimo tertio, septimo Kl. Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

A. de Castillo. &c. C. P. Suno. Io. Madrigal.

A. de Nazanis P. Lambertus, Io. Bonifanus Ie. Casanoua, cum aliis sub & retro scriptionibus correquisitis,

CLEMENS Episcopus seruus seruorū Dei, dilectis filiis in *Scheurn & Furstfeld* ac *Nideraltach Frisingen.* & *Patavien.* Diocesi. Monasteriorum Abbatibus, Salutem & Apostolicam benedictionē. Hodie emanarunt à nobis literæ tenoris subsequēntis. *Clemens* Episcopus seruus seruorum Dei, &c. [vt supr.] Quocirca, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut vnus vestrum, per vos vel alium, seu alios auctori-

Litteræ ab
e custodia
les superiora

tate

rante nostra faciatis literas prædictas & in eis contenta quæcunque plenum effectum fortiri, illisque personas quas quomodolibet concernunt pacificè frui & gaudere. Non permittentes quemquam contra literarum earundem tenorem modo aliquo molestari, impediri, aut inquietari. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus omnibus supradictis, seu ei aliquibus commaniter vel diuisim à prædicta sic sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo vigesimo tertio, septimo Kal. Ianuar. Pontificatus nostri anno primo.

Paulus Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dum attente consideramus, quod per literarum studia æquum ab iniquo discernitur, rudes erudiuntur, fides Catholica roboratur, dignum ducimus opem & operam fauorabiliter impartiri, ut ij qui eorum scientiam in alios diffundunt & in iisdem studiis sollicitudine indefessa laborant, competens in suis opportunitatibus suscipiant releuamen. Cupientes igitur ut dilecti filij ordinariè legentes in vniuersitate studij oppidi *Ingolstatt Eichstettensis* Diocesis, pro quibus dilectus filius Nobilis Vir *Ludouicus* Dux *Bauariae* & Comes *Palatinus Rheni*, super hoc nobis humiliter supplicauit, ut se sustentare possint prouidere: nec non fructuum, reddituum, & prouentuum per præfatum Ducem ipsi Vniuersitati assignatorum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, præfati Ducis in hac parte supplicationibus inclinati, autoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus, quod super Sancti *Martini in Landsbut Frisingen*. Diocesis, quindecim, & super *Beatae Mariæ in Landau, Pataviæ*. Diocesi. parochialium Ecclesiarum: quæ de iure patronatus eiusdem Ducis existunt, fructibus, redditibus, & prouentibus, qui in simul octoginta Marcharum argenti secundum communem existimationem valorem annum non excedunt, etiam quindecim Marcharum similium pensiones annuæ, nunc & pro tempore in dicta Vniuersitate ordinariè legentibus, vel eorum Procuratoribus ad hoc ab eis speciale mandatum habentibus, per dilectos filios *Ludouicum Fragner* Sancti *Martini*, & *Vdalricum Sumerstorffer* *Beatae Mariæ* Ecclesiarum prædictarum Rectores, quorum ad hoc per dilectum filium *Ioannem Lochner* Canonicum *Ratisbonensem* I. V. Doctorem Procuratorem eorum ad hoc ab eis specialiter constitutum expressus accedit assensus, ac eorum successores prædictarum Ecclesiarum Rectores pro tempore existentes, annis singulis pro vna videlicet in *Beati Ioannis Baptistæ* & alia pensionis huiusmodi medietatibus in Domini nostri Iesu Christi natiuitatum festiuitatibus persoluantur, decernentes *Ludouicum Fragner* & *Vdalricum* ac successores prædictos, ad integram solutionem pensionum huiusmodi, iuxta statuti & Ordinationis prædictorum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem autoritate statuentes quod illi ex *Ludouico Fragner* & *Vdalrico* ac successoribus prædictis, qui in eisdem festiuitatibus, vel saltem infra triginta dies ex tunc immediate sequentes easdem pensiones dictis ordinariè legentibus vel eorum legitimis Procuratoribus non persoluerint, elapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrant, à qua donec ipsis ordinariè legentibus de eisdem pensionibus tunc debitis integrè satisfactum, seu alias secum vel cum dictis eorum Procuratoribus super hoc amicabiliter concordatum fuerit, absolutionis beneficium obtinere non possint, præterquam in mortis articulo constituti. Si vero per sex menses triginta dies prædictos immediatè sequentes sententiam ipsam animo, quod absit sustinerint

auerint indurato, ex tunc mensibus effluxis iisdem, respectiue Ecclesiis præfatis perpetuo priuati existant, illæque vacare censeantur eo ipso, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscunque. Aut si *Ludouico Fragner & Vdalrico* ac successoribus prædictis, communiter vel diuisim, ab apostolica sit sede indultum, quod ad præstationem seu solutionem alicuius pensionis minimè teneantur, & ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quã præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac B. Petri & Pauli Apostolorum, eius se nouerit incursum. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum*, Anno incarnationis Dominicæ M, CCCC, LXIX, sexto Kl. Martij Pontificatus nostri anno sexto.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus *Frisingen.* *Littera*
& *Ratisbonen.* Episcopis, ac dilecto filio Præposito Ecclesiæ *Eysteten.* salutē & apostolicam benedictionem. Hodie per alias nostras litteras statuimus & ordinauimus, quod dilectis filiis in vniuersitate studij oppidi *Ingolstat Eysteten.* Diocesis pro tempore legentibus, quindecim super *S. Martini in Landsbut* &c. vt supra. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos postquam litteræ nostræ vobis præsentatæ fuerint, per vos vel alium vel alios faciatis autoritate nostra pensiones prædictas iisdem legentibus, vel eorum Procuratoribus legitimis integrè persolui, & nihilominus quemlibet ex *Ludouico & Vdalrico* ac successoribus prædictis quem huiusmodi excommunicationis sententiam vobis incurrisse constiterit, quotiens super hoc pro parte ipsorum legentium fueritis requisiti, tam diu dominicis & festis dieb. in Ecclesiis, dum maior populi multitudo inibi ad diuina conuenerint, excommunicatum publicè nunciatis & faciatis ab aliis nunciari, ac ab omnib. arctius euitari, donec ipsis legentib. de iisdem pensionib. tunc debitis fuerit intergè satisfactum iisdemq; excommunicari meruerint ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium obtinere, non obstantib. omnib. quæ in dictis litteris volumus non obstare. Aut si *Ludouico & Vdalrico* ac successorib. prædictis vel quibusuis aliis cõmuniter vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compefcendo. Datum *Romæ* apud *S. Petrum*, anno incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXIX, sexto Kl. Martij, Pontificatus nostri anno sexto.

Philippus Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus *Frisingen.* Ecclesiæ, Comes *Processus*
Palatinus Rheni Dux Bauaria, &c. Nec non iudex & executor ad infra scripta. *Dns Epi-*
vnà cum quibusdam aliis infra scriptis nostris in hac parte Collegis cum illa *scopi Fri-*
clausula: Quaten⁹ vos, vel duo aut vnus vestrũ &c. à sede Apostolica specialiter *singen sis.*
deputatus, honorabilibus viris *Ludouico Fragner S. Martini* in oppido *Landsbut,*
& *Vdalrico Summersdorffer B. Mariæ virginis in Landau,* nostræ & *Patanië.* Diocesis
Ecclesiarũ parrochialiu Rectoribus, ac vestris in parrochialib. Ecclesiis præfatis, de
quibus

quibus infra scriptis litteris fit mentio, successoribus. Nec non illi vel illis ad quem vel ad quos infra scriptum tangit negocium vel tangere poterit quomolibet in futurum communiter vel diuisim quibuscunque nominibus censeantur, aut quacunque præfulgeant dignitate, Salutem in Domino, & nostris huiusmodi imò verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Litteras sanctissimi in CHRISTO patris & Domini nostri, Domini *Pauli* diuina prouidencia Papæ secundi, vnam videlicet gratiosam cum filis sericis rubei croceique coloris: aliam vero Executoriam cum chordula canapis, veris Bullis plumbeis, ipsius Domini nostri Papæ more *Romanæ* Curia impenden. bullata, sanas siquidem, & integras, non vitratas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspitione carentes, vt in eis prima facie apparebat, nos pro parte dilectorum nobis in Christo Rectoris & aliorum ordinariè legentium in Vniuersitate studij oppidi *Ingolstat Eysteten*. Diocesis principalium in eisdem litteris Apostolicis principaliter nominatorum, coram Notario publico & testibus infra scriptis præsentatas. Nos cum qua decuerit reuerentia noueritis recepisse, Quarum quidem litterarum Apostolicarum tenores de verbo ad verbum successiue sequuntur & sunt tales. *Paulus* Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dum attente &c. vt supra.

Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem, fuimus pro parte supradictorum ordinariè legentium principalium debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem dictarum litterarum Apostolicarum & contentorum in eisdem procedere dignaremur, iuxta traditam seu directam per eas à sede Apostolica nobis formam.

Nos igitur *Philippus* Episcopus & executor præfatus attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam & rationi consonam, volentesque mandatum Apostolicum supradictum nobis in hac parte directum reuerenter exequi vttenemur, Idcirco auctoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte præfatas litteras apostolicas, huncque nostrum processum ac omnia & singula in eis contenta vobis omnibus & singulis supradictis communiter vel diuisim intimamus, insinuamus, ac notificamus, ac ad vestram noticiam deducimus & deduci volumus per præsentis, & nihilominus vos Domini *Ludouice* & *Valdice* vestrosque in sancti *Martini* in *Landsbut* & *Beatae Mariae* in *Landarv* nostræ & *Patauien*. Diocesis parochialibus Ecclesiis successores pro tempore existentes, & vestrum quemlibet in solidum, in virtute sanctæ obedienciæ, & sub pœnis, sententiis & censuris in præinsertis litteris Apostolicis contentis, quos & eorum quemlibet vos & vestrum quemlibet, nisi feceritis quæ vobis in hac parte præcipimus, incurrere volumus ipso facto, prout dictus Dominus noster Papa incurrere voluit, districtè præcipiendo mandamus, quatenus singulis annis in locis dictarum Ecclesiarum parochialium, pro vna videlicet in Beati *Ioannis Baptistæ*, & alia pensionis huiusmodi medietatibus in Domini nostri Iesu Christi Natiuitatum, festiuitatibus pensiones annuas quindecim marcarum argenti præfatis ordinariè legentibus, vel eorundem legitimo Procuratori ad hoc sufficiens mandatum habenti pro eis, iuxta concessionem, constitutionem & assignationem prædictorum continentiam atque formam sine difficultate contraditionis cuiuscunque efficaciter persoluatis, ac vestrum quilibet persoluat, aut vos cum dictis ordinariè legentibus seu coram legitimo Procuratore super hoc amicabiliter concordetis, & vestrum quilibet concordet.

Monemus insuper modo & forma præmissis vos omnes & singulos supradictos, & alias quascunque tam Ecclesiasticas quàm sæculares personas, cuius-

cuiuscunque ordinis vel condicionis existant & eorum, quemlibet vobis & cuilibet vestrum districtius inhibentes, ne præfatis ordinariè legentibus vel eorum Procuratori prædicto, quo minus de prædictis annuis pensionibus integrè satisfactum fuerit, impedimentum aliquod præstetis seu præstent, per vos vel alium seu alios, aut ipsum inpedientem detis seu dent auxilium, consilium vel fauorem publicè vel occultè directè vel indirectè, quouis quæsito colore, Cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, sed in omnib. & per omnia huiusmodi mandatis Apostolicis atque nostris pareatis seu pareant realiter & cum effectu.

Quod si forte præmissa omnia & singula non adimpleueritis seu adimpleuerint, contrarium feceritis seu fecerint, & huiusmodi nostris imò verius Apostolicis mandatis non parueritis seu paruerint, realiter & cum effectu. Nos in vos omnes & singulos, & eorum quemlibet qui fuerint in præmissis culpabiles, & generaliter in contradictores quoslibet & rebelles ex nunc pro vt ex tunc, & ex tunc prout ex nunc singulariter in singulos prædicta monitione Canonica, præmissa excommunicamus. In Capitula verò, Conuentus & Collegia in his delinquentia suspensionis à diuinis, & in ipsorum delinquentium & rebellium, Ecclesias ac Monasteria interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis & etiam promulgamus.

Cæterum cum ad executionem præmissorum vltèrius faciendam nequeamus quo ad præsens personaliter interessè, vniuersis & singulis Dñis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Succentoribus, &c. plebanis, viceplebanis &c. Notarijs, tabellionibus publicis quibuscunque per ciuitates & Diocesim *Frisingen.* ac *Patauien.* ac alias vbi libet constitutis, & eorum cuilibet in solidum super vltèri executione dicti mandati Apostolici atque nostri faciendi autoritate Apostolica supradicta, tenore præsentium requirimus & comitimus vices nostras, donec eas ad nos specialiter & expresse duxerimus reuocandas, quos nos etiam & eorum quemlibet eisdem autoritate & tenore præsentium requirimus & monemus, primo, secundo, tertio & peremptoriè comunitè & diuisim, eisque, nihilominus & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & excommunicationis pœna, quam in eos & eorum quemlibet, nisi fecerint quæ mandam⁹ districtè præcipiendo mandantes, quatenus infra sex dies post præsentationem, seu notificationem præsentium, & requisitionem pro parte Doctorum ordinariè legentium, principalium, seu eorundem Procuratori, eis seu eorum alteri desup factis immediate sequentes, quos dies ipsis & eorum cuilibet pro omni dilatione terminoque peremptoriè ac monitione Canonica assignamus. Ita tamen quod in his exequendis alter eorum alterum non expectet. Nec vnus pro alio seu per aliū se excuset, ad vos Dñ, *Ludouicum Fragner & Valricū Sumerstorffer* & successores supradictos, omnesq; alios & singulos quib. p̄sens n̄r. Processus dirigitur, p̄sonas, & loca alia de quib. expeditus fuerit personaliter accedat. Et p̄fatas literas Apostolicas huncq; nostrum præsentem processum ac oīa & singula in eis contenta, seu eorum effectum substantialè vobis omnib. & singulis supradictis intimet, insinuet, & fideliter procurent publicare, ac eisdè ordinariè legentibus, vel procuratori eorundem prædicto, iuxta præfati Dñi nostri Papæ concessionem, constitutionem & assignationem, continentiam atque formam, prædictas annuas pensiones, quantum in eis fuerit, communiter vel diuisim faciant efficaciter persolui.

Et nihilominus quemlibet ex vobis Dñis *Ludouico & Valrico* ac successoribus vestris prædictis, quem in aliqua ex festiuitatibus vel saltem, infra tri-

ginta dies ex tunc immediate sequentes pensiones per vos seu alterum vestrum tunc debitas huiusmodi non persoluisse cum effectu, aut vos seu alterum vestrum cum dictis ordinariè legentibus, seu eorundem legitimo Procuratore prædicto, super hoc amicabiliter concordatos fuisse, & esse, sententiã excommunicationis per præfatum Dn. nostrum Papam latam, à qua vos vel alter vestrum præterquã in mortis articulo constitutus absolui non possit, propterea incurrisse, ipsis nostris subdelegatis vel eorum alteri constituit, quotiens & quando super hoc pro parte dictorum ordinariè legentium fuerit requisitus seu requisiti tamdiu singulis diebus Dominicis, festiuisque in suis Ecclesiis, Monasteriis & Capellis dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, excommunicatum, seu excommunicatos publicè nuncient seu nunciatis, facietisque seu facient ab aliis nunciari, & ab omnibus Christi fidelibus arctius euitari, donec & quousq; dictis ordinariè legentibus vel eorum Procuratori prædicto de huiusmodi pensionibus tunc debitibus fuerit integrè satisfactum. Vosque *Ludouice Fragner & Vdalrice Summerstorffer* vel alter ex successoribus vestris prædictis sic excommunicatus ab eadem excommunicationis sententiã merueritis seu meruerint absolutionis beneficium obtinere. * Et generaliter omnia & singula nobis in hac parte commissa plenariè exequantur, iuxta prædictarum nostrarum apostolicarum & præsentis nostri processus vim, formã, continentiam, & tenorẽ. Ita tamẽ q. dicti subdelegati nostri vel quicumque alius seu alij nihil in præiudicium Doctorum ordinariè legentium vel procuratoris eorundem valeant attentare, neque in Processibus per eos habitis, aut sententiis per nos latis absoluendo vel suspendendo aliquid immutare, in cæteris autem quæ eisdem ordinariè legentibus principalibus vel eorum, Procuratori prædicto in præmissis nocere possent, vel quomodolibet abesse præfatis subdelegatis nostris vel quibuscunque aliis potestatem omnimodam denegamus atque facultatem. Et si contingeret nos super præmissis in aliquo procedere, de quo nobis potestatem omnimodam referuamus non intendimus propterea commissionem nostram huiusmodi in aliquo reuocare, nisi de reuocatione ipsa specialem & expressam in litteris nostris fecerimus mentionem. Per processum autem nostrum huiusmodi nolumus nec intendimus nostris in aliquo præiudicare collegiis, quamuis ipsi vel eorum alter, seruato tamen hoc nostro processu in huiusmodi negotio procedere valeant prout eis vel eorum alteri visum fuerit expedire. Præfatas quoque litteras apostolicas & hunc nostrum processum ac omnia & singula huiusmodi negotium tangentia volumus penes dictos ordinariè legentes principales pro tempore existentes vel eorundem Procuratorem remanere. Et non per vos aut aliquem vestrum seu quemcunque alium, ipsis iunctis & contra eorundem voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium, verò facientes præfatis nostris sententiis, prout in his scriptis lata sunt, canonica monitione præmissa ipso facto volumus subiacere. Mandamus tamen copias fieri de præmissis eas petentibus, petentium quidem sumptibus & expensis. Absolutionem verò omnium & singulorum, qui præfatas nostras sententias aut eorum aliquam incurrerint seu incurrerit quoquomodo nobis vel superiori nostro tantummodo referuamus.

In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem, & euidentem testimonium presentes litteras, siue præsens publicum Instrumentum nostrum processum huiusmodi in se continens, exinde & per Notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mandauimus, nostrisq; secreti iussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum in castro nostro *Frisingæ*. Anno à natiuitate Domini 1508. Indiç. 1x, die 12, mens. Aprilis. Pontificatus sanctissimi

fimi in Christo Patris & Domini nostri, Dñi *Iulij* diuina prouidentia Papæ II. anno quinto: præsentibus ibidem venerabilibus & honorabilibus, viris Dominis Iacobo Haushanner Decretorum Doctore, Canonico Ecclesiæ nostræ Frisingensis nostrosq; in spiritualibus. Vicario generali, & Ioanne Winhart Vicario in Vualperskirchen presbytero nostræ Diæcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Leonardus Häprücklin Clericus Frisingen. Diæcesis publicus apostolica & imperiali autoritatibus Notarius, officiq; Vicariatus Ecclesiæ Frisingensis scriba iuratus: quia supra insertarum litterarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, requisitioni, monitioni, sententiarum & Censurarum fulminationi Processusq; huiusmodi petitioni & Decreto, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sicut præmittitur fierent & agerentur, vna cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaq; sic fieri vidi & audiui. Ideo hoc præsens publicum Instrumentum huiusmodi processum in se continens, manu alterius, me aliis præpedito negotiis fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicauit, & in hanc publicam formam redegit, signoque & nomine meis solitis & consuetis, vna cum prælibati. Reuerendiss. ac Illustriss. Principis Dñi Dñi *Philippi* Episcopi Ecclesiæ *Frisingen.* Comitum *Palatini Rheni Ducis Bauariæ* &c. Iudicis & executoris Secreti appensione signaui in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

S. IOANNIS BAPTISTAE
IN FRISINGA.

COLLEGIATA Ecclesia dotata & fundata per Albertum, Episcopum Frisingensem, circa annum 1180. consummata per Conradum tertium, Episcopum, qui ibi instituit sex Canonicos, vna cum Praeposito, &c. Conradus iste Episcopus, Monacensis, Doctor Canonum, obiit anno septimo suæ administrationis, veneno, vt putatur, sublatus, anno 1322. Vide Episcopos Frisingenses.

ADDITIONES.

IN nomine Domini Dei æterni Amen. Cælestis creator omnium, cuius imper-
scrutabilis prouidentie altitudo non includitur limitibus, & quem cæli caelorum non continent, sic sponsa suæ matris Ecclesiæ Redemptor affectu præcipuo consubstantialis filij sui sanguine profectum eximium ac decorem, & edificationem materiale crescere disposuit, & præordinando providere constituit in templum sanctum Domino, vt lapis ipse angularis in sacramento magnifici sui corporis ibidem nobiscum vsq; ad consumationem seculi permaneret, & in locis rationabilibus. administratione & officio Pontificum delibutis veneraretur sanctum per cuncta secula nomen eius. Idcirco nos *Conradus* Dei gratia Episcopus Ecclesiæ *Frisingensis* ad eius gloriam, per quem cælestis & terreni consistunt ædificij fundamenta *Frisingen.* Ecclesiæ nostræ spoliæ, cui diuina prouidentia præsidem⁹, exaltationis spiritualis honorem, salutis propriae augmentum, & deuotionis Christi fidelium vniuersalem propagationem, nec non spirituale obreuerentiam S. *Ioannis Baptistæ* præcursoris Christi qui sanctificat⁹ in utero matris Saluatoris præcessit in *Elia* spiritu ac virtute, ipsumq; factorem suum ac nostrum in deserto lucem beatitudinis digito demonstrauit, & lympha meruit tingere baptismali, capitulo nostro per campanæ sonitum more solito conuocato, conuenientibus dilectis in Christo fratribus, Dñi Praeposito, Decano necnon omnibus, ac singulis in loco capituli qui volebant,